

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Consilium d
cum fonte primo

Quanto utilius regem Pharaonem
Ioseph consilio prouidencie iuuat
quam si pecuniam contulisset.
Pecunia enim unius ciuitatis ubertatem non redimeret
et prospiciencia Ioseph tocius Egypti
per quinquennium famem repulit.
Facile autem pecunia consumitur,
consilia exhauriri nesciunt.
Hec usu augentur, pecunia minuitur et cito deficit

ut quo pluribus largiri uolueris,
eo pauciores adiuues,
et sepe tibi desit quod alii conferendum putaueris.
Consilii autem operisque collatio
quo plures diffunditur,
eo redundacior manet et in suum fontem recurrit.

Ibidem (Ambrosius libro II. de officiis).

Quanto utilius regem Pharaonem
sanctus Ioseph consilio prouidentiae iuuat
quam si contulisset pecuniam!
Pecunia enim unius ciuitatis non redemit ubertatem,
prospicientia totius Aegypti
per quinquennium famem repulit.
Facile autem pecunia consumitur,
consilia exhauriri nesciunt.
Haec usu augentur, pecunia minuitur et cito deficit
atque ipsam destituit benignitatem
ut quo pluribus largiri uolueris,
eo pauciores adiuues –
et saepe tibi desit quod alii conferendum putaueris.
Consilii autem operisque collatio,
quo in plures diffunditur,
eo redundantior manet et in suum fontem recurrit.

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 2.15 (CCSL
15, M. Testard ed., p.123, ll.49-58).